# EMINENTISSIMO PRINCIPI,
## ILLUSTRISSIMO DOMINO
# D. JOANNI
## CARDINALI A' MOTTA
### CARMINA
*Acroſticha.*

J nter Purpureos Heros numerate ſodales
O mine cœleſti, vel ſorte elate ſecunda,
A ffectum orantis, depoſcentiſque favorem
N oſce tuum: exaudi clemens, attende benignus.
N e me deſpicias; me dudum agnoſce rogantem
E xternas habitare plagas: quare ergo Joannes
S is mihi: Joannes eſt gratia, gratus adeſto.

### EPIGRAMMA
*Ad eundem.*

DIcere permittar laudum nonnulla tuárum,
  Princeps Motta, quibus plùs generôſus ovas.
Si ſoli æquìparem te, plùs es clárior illo,
  Doctrinà egrégià Sol radiôſus ades.
Non ténebras ea paſſa ullas, ubicumque refulget:
  Tecum nata manet, quæ modo nota manet.
Hæc tibi concìliat, pótior velut unio, dotes
  Innumeras, quantas tam ſpeciôſus habes.
Dòtibus inſignem dècorat te Purpura tantis,
  Ut ſis jam ſummi cardine Pontificis.
Joannis fuit author amor, cui charus adhæres,
  Regis, in illius corde reclûſus ades.

Es

Es philtrum illius, clamàberis unio Regis;
Huic unîtus ades, nec renovandus eris.
Unio digna ſatis: dicendus es unio quare
Eccleſiæ, unde micas, ignea gemma velut.
Ignea gemma manes, dum te ſacra Purpura cingit:
Hæc aliis onus eſt, aſt tibi ſicut onyx.
Uni ergo, ò Princeps, tibi congruit unio talis:
Unitas dotes tot tibi ſolus habes.

## ODE CARMINIS ALCAICI

*Ad eundem.*

FLos ò Virorum, Palladis in ſinu
Nutrîte, noſtram non tetrico vide
Vultu Camænam, grande lumen
Luſiadum quia ſolus extas.
Secrêta magni nòſcere Principis,
Tinctamque ſacro murice Purpuram
Portare, fortunamque polles
Elóquiò tibi temperâre.
Docto refulges pectore doctior;
Ad docta natus crederis omnia;
Te nemo doctrinis micantem,
Doctus adhuc, ſuperabit ullus.
Hoc omnis ætas, cunctaque ſæcula
Poſt inde dicent, nullaque non dies
Laudante penna perſonabit
Ingenii, meritique dotes.
Cœli magnificum numina Principem
Te, ſicut unus tot bene promeres,
Servent, ut æternos in annos
Incólumi potiâris aurà.

EPI-

# EPIGRAMMA.

*Ad eundem.*

PRinceps illuſtris, meriris quem Purpura cingit,
  Ad ſummum exoptans te peragrâre thronum:
In quò proſpéritas animum tam celſa benignum
  Concilians aliis te facit eſſe pium.
In me oculos converte tuos, quem tempore tanto
  Sors fera perſéquitur facta noverca mihi.
Te ſupplex oro, ſis ut meus ipſe patronus,
  Utque patrocinium des mihi grande tuum.
In te cognoſco noſtrum latitâre juvamen: *Cant. Cap. 2.*
  In te ſors noſtra eſt, eſt quoque noſtra quies.
Umbra mihi tua ſola ſatis, protectus ab umbra,
  Ipſe tua pôtero ſede ſedêre mea.
Si mihi munus agas, tunc Rex me fortè Joannes
  Aſpiciet clemens, & benefactor erit.

Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi. *Ibidem:* Introduxit me Rex. Ordinavit in me charitatem.

Eminentiæ veſtræ

Mediaſtinus obſequentiſſimus

*Utriuſque Juris Doctor D. Dominicus Novi Chavarria de Neapoli.*

# EPIGRAMMA.

*Ad eundem.*

PRinceps illuſtris, meritis quem Purpura cingit,
Ad ſummum exoptans te peragrare thronum:
In quo proſperitas animum tam ceſſa benignum
Concilians aliis te facit eſſe pium.
In me oculos converte tuos, quem tempore tanto
Sors fera perſequitur facta noverca mihi.
Te ſupplex oro, ſis ut meus ipſe patronus,
Utque patrocinium des mihi grande tuum.
In te cognoſco noſtrum lætare juvamen:
In te ſors noſtra eſt, eſt quoque noſtra quies.
Umbra mihi tua ſola ſatis, protectus ab umbra,
Ipſe tua pôtero ſede ſedere mea.
Si mihi munus agas, tunc Rex me forte Joannes
Aſpicit clemens, & benefactor erit.

*Cant. Cap. 2.*

Sub umbra illius, quem deſideraveram, ſedi. *Ibidem*; Introduxit me Rex. Ordinavit in me charitatem.

Eminentiæ veſtræ

Mediaſtinus obſequentiſſimus

*Utriuſque Juris Doctor D. Dominicus Novi Chavarria de Neapoli.*